



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. Per humilitatem Deus magna operatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

ad JESUM. Quantumvis enim descendas, licet in omnium infimum locum venias; ibi invenies. & habebis JESUM. *Si descendero in infernum, ades.* Joan. 1. 51. dicitur: quod visuri simus omnes, *Angelos DEI ascendentes, & ascendentes super Filium hominis.* S. August. l. 41. Non diceret ascendentes ad Filium hominis, nisi sursum esset: non diceret descendentes ad Filium hominis, nisi deorsum esset: ipse sursum, ipse deorsum. Sursum in se, deorsum in suis. Baeza t. 2. lib. 11. c. 6. §. 9.

Et accipiens puerum, statuit eum in medio. Marci 9. 35. Quod complectitur puerum, significat, humiles suo dignos esse complexu, ac dilectione; talesque jure posse gloriam: *lava ejus sub capite meo.* V. Beda hic.

Intravit in domum Zachariae, & salutavit Elisabeth. Luc. 1. 40. Cur non Zachariam? audi humilem vocem: *unde hoc mihi &c.* Olival. 1. Strom. hic.

Ecco vir nomine Zachaeus &c. Luc. 19. 2. *Statua pusillum,* hoc est, nullā nobilitatis ingenuitatis dignitate sublimis, exiguus meritis. S. Ambros. Divitiae arboris obtinuerunt fastigium, praecurrens ascendit, non dignus, sed opulentus. Quam morose fastigium obtinuerunt virtutes! quam citò elatae sunt facultates! Verum ad videndum DEum nec humana valent fastigia; nec auri, nisi pauperibus erogata, prodest copia. Ideo ei praecipitur descensus: *Zachae festinans descende:* quia Domini visio debetur humilibus, non superbis. Naxera in Jos. 13. §. 37.

Tu es Simon filius Jona. Joan. 1. 42. *Jona dicitur columba.* Tu es filius Jona, tu es filius Spiritus S. Filius ergo dicitur Spiritus, quia humilitatem de Spiritu S. acceperat. V. Beda hic.

Ex Patribus.

Altus est DEUS; erigis te, & fugit à te. Humilias te; & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus est; humilia respicit, & alta de longe cognoscit. S. August. in festo ascens. D. l. 2.

Qui sine humilitate bona opera agit, in ventum pulverem portat. Qui sibi vilis videtur esse, ante DEum pulcher est. Qui sibi displicent, DEO placent. Esto ergo parvus in oculis tuis, ut tu sis magnus in oculis DEI. Tanto enim eris apud DEum pretiosior, quanto fueris ante oculos tuos despectior. S. August. de tempore. Dom. 9. Trinit. ferm. 1.

O quam excelsus es! & humiles corde sunt domus tua: tu enim erigis elisos; & non cadunt, quorum fortitudo tu es. S. August. l. confess. 11. cap. 31.

Minimum discipulum DEus amat plurimum. Inferius frater accumbe; ut, minore adveniente, sursum jubearis ascendere. S. Hieron. ep. 1. ad Heliodorum.

Non libentius Prophetarum ora, quam humillimum hominem, osculatur Dominus. S. Chrysost. hom. 79. in Matth.

Manum CHRISTUS, quae se indignam calcamentis esse dicebat, à pedum obsequio ad caput suum sublevavit. Idem hom. 3. in Matth.

Qui sibi vilis est, DEO charus est. S. Bernardus ur. de inter. domo c. 28.

Nescio quò pacto familiaris semper humilitati propinquare solet divinitas. S. Bernardus ep. 42.

Si vultis oculò misericordiae, oculò gratiae, à Domino respici, humiles estote: *humiliter enim, sicut Scriptura dicit, dat gratiam: quia respexit humilitatem ancilla sua.* Id. de Pass. c. 17.

Humilitas se attenuat, ut ametur à sponso: se annihilat, ut creetur de novo: se evacuat, ut impleatur à DEO. Se attenuat, & facit seipsam gracilem, ad domicellae modum. Annihilat se, ut de novo creetur. Ipsa enim est illud nihilum, super quod DEUS fundavit terram. Job. 26. 7. *qui appendit terram super nihilum;* id est, animam super humilitatis fundamentum. S. Bonavent. diat. sal. de humilit. cap. 36.

Legitur in vitis PP. de quodam fratre bono, qui in suis orationibus non habebat ulla consolationes spiritus. Qua de re DEO conquestus: Domine, tot annis servio tibi; & tamen necdum dedisti mihi aliquam consolationem divinam. Subito venit umbra magna, quae ipsum prostravit semimortuum, dicens: donec te contempleris sicut lutum, quod calcas, non senties consolationes divinas. S. Vincent. Ferr.

Tanto fit quisque pretiosior DEO, quanto propter eum fit vilior. S. Bernardus t. 3. D. 10. Pent.

Quis est dignus sedere ad mensam Christi? qui sponte se humiliat pro amore Christi. Thom. Kemp. conc. 32. de Paschate.

Pretiosior coram eo est humilis, profundaeque propriae perfectionis agnitio; quam miraculorum, aliorumque grandium operum, exhibitio. Blossius parad. an. c. 33.

§. IV.

Per humilitatem DEUS magna operatur.

Samson arrepta mandibula interfecit mille viros. Judic. 15. 15.

David quasi tenerimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. 2. Reg. 23. 8. Rupertus: per humiliora instrumenta DEus gloriosius triumphat. Salvian. l. de provid. c. 7. quando evidenter DEus intelligi voluit, magna opera à se patrari; aut per paucos, aut per infirmos, res acta est: ne opus coelestis dextera virtuti assignaretur humanae. Idem quidem & dux Sisara, quem Hebraeus timebat exercitus, à muliere prostratus est. Judic. 4. 21.

Humilitas ad nihilum peccatorem adducit, ut se nihil reputet, & in valore, & in virtute. Ex hoc nihilo recreatio, sicut ex nihilo simpliciter facta est creatio. Umbertus l. 4. de erudit. Relig. p. 2. c. 4.

Hoc

Hoc non ignorabat David, qui dicebat: *cor contritum, & humiliatum, DEUS non despicies.* Pl. 10. 19. Qui etiam ait: *cor mundum crea in me DEUS.* v. 12. Creatio Mundi cordis facta est ex nihilo humilitatis. Novarinus agn. Euch.

§. V.

Humilitas disponit ad divinas gratias.

PELliculaq; hædorum circumdedit manus &c. Gen. 27. 16. Non erubescamus esse humiles, ut exaltemur. Sicut Jacob non erubuit reputari deformis, & pilosus; ut patris benedictionem consequeretur. Broymard. Humilitas.

Tintinabula de auro purissimo - in extrema parte tunice. Exod. 39. 23. Nemo, opinor, ambigit; sanctioris amenitatem vitæ malogranatis, aureisque tintinabulis, designari: hæc enim concentum coeli, illa verò gloria delicias, repræsentant. Suspendebantur autem ea ad oræ imas fimbrias; quas nemo non videt, quasi in cœnum rejectas, & a gemmis Pontificis usque ad calceos ablegatas. Quæ ergo pars tunice putabatur abjectior, ea præ cæteris compitor, oratorique & renidebat, & sonabat. Oliva f. 4. D. Pass.

Et valles abundabunt frumento. Plal. 64. 14. In vallibus pinguedo est; ibi proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus. Audis, quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas prædicatur. S. Bernard, serm. de S. Benedicto.

Qui emittit in convallibus. Pl. 103. 10. Convalles humilitatem significant, quæ nunquam sine fonte gratiæ est. Non est autem insolens; ut, qui montes sunt propter S. Spiritus magnitudinem, convalles sint propter sui Spiritus humilitatem. S. Prosper hic.

Qui bonus est, hauriet gratiam. Prov. 12. 2. Sicut hauriens aquam, eò puriorem, & copiosior, haurit; quò profundior puteus: sic & iustus maiorem gratiam, quò maior est animi ejus humilitas. Nam bonus hic quilibet iustus intelligitur, sed præsertim humilis, inquit Beda, & Hugo. Cornelius hic.

Benedicat terra Dominum, laudet, & superexaltet eum in sæcula. Dan. 3. 74. Uni dicitur terræ, ut DEUM non benedicat solum, sed & superexaltet. Et tamen ad cœlum magis ista exaltatio spectare videtur; quod & DEI sedes est, & altior terrâ. Puto, duplici causâ id terræ mandari: 1. Quia humilitas sui inclinatione maxime DEUM elevat. 2. Quia humili plura suppetunt celebrandi DEI argumenta. Nam terra humilitatis imago, licet reliquis elementis inferior, illa tamen militare suis commodis miratur. Fulget cœlum; sed fecunditati terræ adlaborat. Sol splendet; sed suis fovet radiis tectus agrorum: Luna crescit; sed plantis famulatur: aer, & aqua, terræ inservit. Itâ, quò quis humilior est, eò magis sibi ancillari stupet vel reges. Quin terra docet, cætera

Polyanth. Sacr. Tom. I.

rum virtutes concludi, tegique humilitate. Solis unus fœtus est splendor; una cœli soboles, astra; maris una piscium propago; aeris unica fecunditas, volucres: terræ autem quàm varia, & multiplex fecunditas florum, fructuum, segetum, quadrupedum, metallorum. Oliva l. 12. Strom.

Facite homines discumbere: erat autem fœnum multum in illo loco. Joan. 6. 10. Poterat stantibus cibum dare! cur vult, ut sedeant, & super fœnum? Non enim beneficia divina dantur superbè stantibus; sed humiliter jacentibus super fœnum. Eusebius Emis. quicunque igitur, qui vis satiari de panibus Christi; discumbe prius super fœnum; imò prius te fœnum esse, cognosce. Sylveira in Luc. 23. q. 13. Super fœnum discumbentes saturantur: quia humiles tantum refecione Domini digni judicantur. S. Honorius D. 4. Quadr.

Ex Patribus, & aliis.

Cum timore, & tremore, vallem facite, imbrem suscipite. Depressa implentur, alta siccantur; gratia pluvia est. Quid ergo miraris, si DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. S. August. l. 2. de Verb. Ap.

Tunc poenitentia fides habetur, cum humilitati conjuncta est. Nam ob rem Sanctorum nobilissimi, ac in eis Principes, tum maxime humilitatem spectant, cum humanis majora, ac diviniore, fuerint assecuti. Ubi suis verbis Abraham istud intexuit: ego sum terra, & cinis. Gen. 18. 27. tunc maxime naturam agnoscendo, naturæ modos præstantiâ transcendit. Modus amplificandæ gratiæ, vis est humilitatis. S. Basilii Seleuc. or. in illud, nisi conversi fueritis &c.

Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat; sic nec gratia humilem, quin illi se infundat. S. Laurent. Just. de humilit. cap. 3. Lign. vit.

Semper solet esse gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. S. Bernardus hom. 4. sup. Miss.

Fons gratiæ in cor hominis, carnalis scilicet, & terreni, non ascendit. Sed quid est, in cor hominis non ascendit? unque quia fons est, & ascensum nescit. Scimus enim, quia fontium natura est, rivos sectari convallium, montium ardua declinare. Id. f. 4. in Vig. Nat.

Sicut aqua semper fluit ad valles, sic DEI gratia ad humiles. S. Bonavent. l. 2. de S. Andr. Apost.

Valles in seipsis frumentum, spiritualeque multiplicant fructum. Vallis est humilis anima inter medium montium, sine arrogantia semper, atque immobilis permanens. Joan. Clim. gr. 25.

Qui seipsum ex intimi animi sensu, & affectu, novit; jam in terra seminavit: nam nisi ita seminemus, fieri non potest, ut floreat humilitas. Idem ib.

Q99 q

Hydrim.